

Cartulaire de l'Abbaye de Redon en Bretagne: [832–1124], Nr. 62

Haec carta indicat atque conservat qualiter dedertint Hinuualart et Maenuueten, presbyteri, suam partem terrae, id est, .IIII. modios de brace, quae vocatur Let-Tigran, quae, alio nomine, noncupatur Rendreuolou, quam antea dederat supradictus Hinuualart Maenuueteno presbytero, sitam in plebe Rufiac, tradentes eum in manu Leuhemeli prepositi, Sancto Salvatore et monachis in Rotonno monasterio degentibus, in elemosina pro animabus suis et pro regno Dei, in monachia sempiterna, sine censu, sine tributo ulli homini sub caelo, nisi Sancto Salvatore et supradictis monachis rotonensibus. Factum est hoc in aecclesia Rufiac, .IIII. feria, .V. idus ianuarii, dominante Salomone Britanniam, Courantgenus episcopus in Venetis civitate, coram nobilibus viris qui ibi aderant: Hinuualart et Maenuueten, presbyteri, qui dederunt, testes; Comaltcar, presbyter, testis; Iarnhitin, testis; Moeni, testis; Miot, testis; Iacu, testis; Uuincalon, testis; Driuuobri, testis; Loiesuueten, testis; Afroc, testis; Haeluucon, testis; Uuoletec, testis; Bodan, testis; Hirbidoe, testis; Blenliuuet, testis; Haeldifoes, testis; Logesirc, testis; Loiesbritou, clericus, testis.